ARISTIDIS ORATIO,

*

Qua persuadere contendit Smyrnæis non decere in festis Deorum conuicijs et infamibus Comœdijs uti.

Eiusdem in puteum Aesculapij.

Ad Iacobum Betonum Archiepiscopum Glasconensem.

*

Interprete Arnoldo Ferrono Burdigalensi Regio Consiliario.



LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM.
M. D. LVII.

IACOBO BETONO
PONTIFICI GLASCONENSI
ARNOLD. FERRONVS
S. D.



VOD hactenus idq; sedulò mihi aßiduè fuit curandū, vt omni studio humanißimum quenq; & eruditißimum prosequerer, id me tu semper meditatem, Iacobe Betoni, vnicumdecus atq; ornamentum Scotiæ nobilitatis, quò minus efficerem, humanitate tua anteuertisti. Qui cùm libellos aliquot è Græcis à me versos intellexisses, non solùm synceri subtilisq; tui iudicij censura dignos putasti qui à te legerentur, sed quantum genus hoc studiorum à te probaretur non sine cumulo laudum nostrarum palàm ostendisti. Ita accidit vt quod ab ingenio meo aut ab instituto officium vltrò proficisci debuisset, id nunc tuo beneficio commotus præstare debeam. Quamobrem quod tu ignoto mihi & virtutis nobilitatisq; ignaro tuæ, humanitate maximâ concesisti, id ego tibi meritorum erga me tuorum magnitudine noto atq; debitum agnoscenti meum, æquali certè æmulatione reponere debeo: gratiam me habere certum est. Id verò laboro cumulatè vt referam: Ecquid autem potiùs ad virum nobilißimum, lectißimum, politißimum, eundemq; eruditißimum mitterem, quàm ex philosophia veteri depromptum aliquod munus? Ecquis autem eo munere dignior quàm tu cui, vt de Ramaseo tuo, altero Attico, intelleximus nihil antiquius studijs philosophiæ veteris? quiq; sic te depinxit, prorsus vt persuaserit

suaserit nobis, magnam esse in sententijs tuis argutiam, in differendo subtilitatem, maiestatem in respondendo, libertatem in dicendo. Orationem tuam sic esse grauem vt in singulari dignitate omnis tamen adsit concinnitas ac venustas: Accipies itaque quo soles vultu illo tuo placidissimo, Aristidis hac è Græcis versa monumenta: intereà dabitur à me opera ne te istius erga literas literatosq; beneuolentiæ vnquam pœniteat. quamuis enim ea fortuna mea sit, vt tecum istius maiestatis viro, & Regio solio proximo, paria facere non possim, officio quidem, & studio certè & beneuolentia, tecum ita contendam, vt in eo humanitatis genere primas haudquaquam laturus esse videare. Vale.

*



ARISTIDIS HORTATORIA ORATIO NE QVIS PVBILCE

comœdia quenquam perstringat in festis & sacris.

Arnoldo Ferrono Burdigalensi Regio Consiliario interprete.



NON parua est commoditas, viri Smyrnæi, illius qui aliquid est persuasurus, gratam esse auditoribus orationem, illis præsertim qui ad monendum ingrediuntur, non quòd facilè vulgus monentis sententijs adhæreat, sed quòd planè monentem non ferat. Verùm enimuerò quæcunq; res suopte impetu nos hortantur, vt eas diligenter curemus, in his consultore opus non est, sed natura vbiq; ad sui proprium & affine pellit: quæ verò oratione indigent, vt edocti, eas, homines persequantur vel conseruent: eæ consultore & deliberatione opus habēt. Quare si quis aurem præbere nolit consu- ὥστ᾽ εἴ τις ἀκού-ειν μὴ βούλεται

τὸ συμβουλεύειν ἀναιρεῖ τὸ κατ᾽ αὐτὸ μέρος.

κεχρῆσθαι μετὰ τοῦ χάριν πρὸς τὸ ἔχειν.

lendi, omnino rationem tollit, adhæc, alij quidem rudes iure videntur esse, nos verò cõsuetudine & eruditione excellere par est: neq; statim libenter quasuis audire orationes. Deinde si quis optima laudet, ijs tantùm animi gratia vtatur, vnum omnium maximè absurdum esse videtur. Si igitur labores & negotia narraturus essem, primùm quidem fortassè otiosum me esse oporteret: deinde docendum statim esset, animi voluptate & recreatione, melius omnibus, commune esse commodum. Nunc verò tantum abest vt molestum & difficile quicquam apponam, vt ne quid difficile vel dicatur vel audiatur consulam: adeò absum vt vel faciam vel dicam quod molestum est. Initium autem orationis meæ ducã ab eo vnde vos optima consequeremini, atq; à mea ipsius consuetudine. Assero igitur Bacchi festum agendum esse, imò per Iouem, & Veneris, Dijsq; cæteris libandum, immolandum & pæana canendum, coronasq; ferendas, ac nihil quod ad religionẽ pertinet esse omittendum. In his verò quæ populo prosunt gratificandum, quod autem maximè est aduersum radicitùs est euellendum: execrationes,

tiones, conuicia, & diurnas libidines: imò in ſacris nocturnis & pernoctationibus quæ fieri ſolent libidines intelligo, neque huiuſmodi rerum effectores, neque in his certatores, neque * ludendum niſi honeſtis confirmo. Quòd ita ſe res habeat, apertè iudicat quòd inuitos ſcelus quidem audire non ſit iucundum, ſpontè autem ferre, indeprauata conſuetudine corruptorũ ſit exercitatio. hoc certè priores in malitiam & improbitatem induxit, neque perniciosius malum, domi vel publicè accuſare quiſquã poteſt, quàm malis gaudere. Nam extremũ hoc humanum flagitium eſt & error, inuidia accuſatione vacans, huius participem eum eſſe oportet, eamque in ſeipſo augere, qui huic cupiditati cedit. Cuius rei profectò argumentum eſt, quòd nemo ſanè ſit qui eos quos amat, aut quibus benè eſſe velit, ſi malè audiant lætetur. De detrimento & offenſione cæteriſq; huiuſmodi, quo pacto inconſultò & inuitè quis faciat licebit dicere, hoc verò deprauatam conſuetudinẽ adeò ſuperat, vt princeps quidem, & quaſi proprium ac gentile nomen mali vendicet, quam nulla venia capit. Deinde nullius rei

μηδὲ παίζειν δὲ μὴ βέλτιον.

Ludere niſi honeſtis debere confirmo.

τοῦτο τῶν προτέρων εἰς μοχθηρίαν.

ἵνατα δὲ λεῖ-ὸς πράγματος πρέσβευμα ὅτι, ἀλλὰ φύσιως μηδὲν αὐτὸ χρέ-σου εἶναι συμ-βαλομένης.

est appellatio sed natura cõsulente nulli vsui cùm sit negligitur, quemadmodum verò ipsum mali plurimum participat ab appellatione ortum, sic rursus eius maledicentia: maximam partem habet, quæ à nominis comparatione orta est. Sic vtrunq; malum, & improbitas est hominum. Semper ergo sapere dicereque optima, eligendum, ratus sum in nouilunijs & festis: quomodo enim fausta ómnia & benè ominanda maximæ curæ esse non debent? * veniam verò omnẽ vrbanissimam cõuenit maximè mutuò vniuersos habere, veluti Deorum hanc amicitiam & consensum administrantes: existimariq; (fortasse vt verbo dicam) dies festos concordiæ esse notas: neque tam splendidam victimam, gratam'ue hostiam (qua nulla Dijs est iucundior) quàm vt in eis quæ in nostra sunt potestate, voluptatem optimam præbeamus, atq; hoc modo venerari Deos: At verò quod maius signum reuerentiæ erga Deos esse potest, quàm nihil absonum audire aut dicere, quod ipsis aduersetur: an vero amico quem reueremur præsenti, multa*, quibus vel iustè à nobis reprehendi potest silebimus. In Deorum verò præsentia, & ad

* Facultatem, licentiam,

*dicere,

& ad aures cùm ſtamus partim dicemus, partim audiemus, quæ ipſi honeſta non eſſe diceremus? verùm vt fœda & vituperanda reijceremus? vt autem intelligatis nihil à me noui eſſe dictum, ſed longo tempore admiſſa & moribus & legibus cõfirmata communibus. In memoriam reuocate primas præconum in comitijs voces, quæ vos benè precari bonaque verba dicere monent. In memoriam reuocate ſacerdotum verba & eorũ qui nobis dum ſacra facimus præſunt. Adhæc nos ipſi quoq; hoc potiſſimùm precibus diligenter curamus, atque ratio etiam poſtulat, vt exiſtimemus omnium honeſtiſſima, fauſtaq; & feliciſſima dicere, maximè ſacris conuenire. Licentiam verò his qui execrantur eſſe, ſacrificantesque hoc modo erga Deos quibus ſacra facimus, eſſe ornatos: hoc prætextu turpiſsima quæque audire & dicere: ipſos tum maledicentia diſplicere, tum eorũ qui mutuò maledicant præfectos fieri: etſi hoc gratum Dijs putamus, contrarium nos ipſi certò ſcimus, idipſum obſeruantes, cùm Deos adimus. Si ingratũ & hoſtile exiſtimemus, ipſo tamen lætamur, quomodo piè & religioſè afficimur? aut quo

pacto hos Deos colimus, per quæ meritò eorum priuemur gratia? mirum mihi videtur si auium voces vt auspicacissimas nobis esse existimemus. Siue in solitudine simus, siue alibi fuerimus, & nostras voces ne in theatro quidem, ne nobis sint molestæ & aduersæ non obseruamus. Atq; cùm ad vaticinij aras accedimus, velimus faustissima quæque audire, adeò graue & vehemens quoddã Dei oraculum putamus. Quæ autem nullo modo ferri possunt, hæc festis exhibemus, & pueros quoq; bona dicere hortamur, & præceptores & familiam, præmonentes vt quæ factu turpia sunt, etiam dictu non sunt honesta. Rursus tamen ad ipsum congregantes pueros, & fœminas, omnẽq; ætatem, maledicentiæ præmia proponimus & optima quæque contemnentibus. Vbi quæstus præponitur præstò adsumus. Quæ verò agentes aut perpessos nefas est intra vas purum fieri, ea in medijs templis canimus & Dijs offerre quod vitium est & illicitum, impium esse arbitramur, venerari autem Deos illicitis, religionis partem statuimus, & honestatem præ alijs in præcio habemus, omnis tamen turpitudinis formas liben

περιῤῥαντήριον vasis genus apud Suidam, fortassè non malè reddetur ad aquariolum, nunc enim magnifica fieri vi-

libenter inſpicimus: etſi vnus tantùm in choro malè cantet, eijcimus. Si verò inconcinnè & ineptè totus chorus canat, lucro apponimus, prætereà verò ſi ab alijs tot mala audiremus iraſceremur: cùm id ipſum nos facimus dignum feſtum egiſſe nos arbitramur. Ita immanes erga Deos, & nobis ipſi aduerſi efficimur. Atqui etiam auſi ſunt nõnulli bonum eſſe affirmare, licere in theatro maledicere, vt qui malè vixerunt reprehendantur, & alij metu reprehenſionis moderatiores fiant. Valdè certè probarem temulentiam, ſi talia homines doceret quæ eos decent, verùm & non admodùm difficilè foret, temulentos ipſos alios temperatos facere & priuſquam ipſi deſinant, poſſint inter alios concinnere vt cum honeſtate viuant. Quis enim veſtrûm ignorat non eſſe multitudinis talia docere, potiùs quàm leges condere aut eas rogare apud populum? an non eſſe cuiuis homini nauigare Corinthum non credemus? Vniuerſæ verò vitæ viam, quæ quidem ſit, & quibus ſtudijs traducenda, omnis homo ſciet omniſq; in his hærebit themonibus. Hac verò & illac iuuentutem agentes vbi viſum fuerit ex ipſis & ath

demus & ornata in tricliniis & cubiculis in quibus lotura proiicitur. Ita apud priſcos puto fuiſſe περιῤῥαντήρια, iuxta fontes ſacros aut puteos propè Deorum templa in quibus antequam immolarent ſe lauabant, quę quod deaurata & formam dolii habere ſolent fortaſſis à Suida πίθοι χρυσοὶ vocatur.

& athletis sacrum statuimus certamen, vt sceleratus quisque cùm sui ipsius se pudeat, se subtrahat, corporeq́; pœnas luat, studiosissimorum autem duces & præceptores ex omnibus tabernis & officinis omnium inquam optimorum adeò malè admittemus? pædagogis & præceptoribus nos ipsi indigere ergo videbimur, atque ianitoribus non quibusuis, sed fidissimis ne quid indecorum & turpe in ædibus accidat vtimur: pueros autem & fœminas ciuitatisq́; reliqua & vt summatim dicam dignitatem omnem quibusuis administrandam dabimus? & quos sobrios damnamus, ijs ebrijs fidemus? At certè, nec tempus ad instituendum, sed ludendum aptum est, si quidem id tempus postulat Dionysia, siquidem id sacra Samea & festa nocturna. Quare quo pacto æquum est, in quo verorum præceptorum liberos nostros discipulos esse cupimus, in hoc esse eos qui nihil se dignum faciunt, neque ab ipso loco quicquam discere possunt. Quòd autem absurda & inepta sit hæc vendicatio planum est. Non enim in theatris ambulare præceptorem oportet, illicq́; monere: hæc enim loca voluptatibus & animi recreationibus

nibus obijciuntur, ſed loci profectò deſignati ipſo nomine ſunt, vbi ſit philoſophandũ: in quibus certè non irriſores, aut impudentiæ profeſſores eſſe debere arbitror. Verùm vt par ſit eis qui liberos pueros erudiant & præmoneant: apud alios omnem turpitudinem vitare debent. Atqui verò ſi laſciuos & inſolentes cùm reprehendunt, ab alijs abſtinerent, ſtatim quædam ratio eſſet. Nũc verò res claro orditur principio, deſinit autem in eo quod nullo modo eſt honeſtum: Sunt nanq; plerique qui nihil quod eos non deceat malè audiunt: Sunt etiam qui neminem latent, publicè tamen conuicijs affici ſubterfugiunt. Quid ita? Quoniam nec præceptorum, nec moderatorum, nec eorum qui meliores alios efficere ſtudent, vtuntur moribus: ſeſe profectò prius meliores facerent. Sed ad odium, & gratiam ab alijs argentum quidem cùm non impetrant, eos accuſant, alios, eò quòd amarunt, non potiti ſic vituperant, & rurſus tacent ob alia, vt ſeipſos impudenter victitantes perſpicuè conſtituant. Perpendite autem hoc pacto quoſdam quos maximè par ſit ſuam redimere maledicentiam: an ne talium ſibi conſcios

ſcios vulgò ſe dicerent?quoſdam verò quaſi hæc minimè curare: an non hi quidem ſibi & rectè viuentibus fident? perſpicuum igitur eſt contrario modo fieri, quàm res ipſa pollicetur. Laſciui enim & impudici, illæſi & liberi à maledica oratione,eos reprehendunt quos minimè eſt æquum. Agè igitur ſtatuamus vtroſque promiſcuè malè audire, non enim illud diceres quòd nemo aliquando malè audiuerit, qui probis ſit præditus moribus. Num ergo qui honorem neglexerũt,& penitus fœdis cupiditatibus ſunt corrupti aliquo modo puniuntur? Sed & lucro apponerent ſi omnibus apertè geſtientes forent. Qui verò præter dignitatem certant, & in rebus indignis: quomodo quæſo,non multum à præmijs temperantiæ propoſitis aberrabant? Quare non vt nobis melior iuuentus euadat,publicè inſectandum eſt,imò verò etiam ſi nulla alia ſit cauſa, à publica inſectatione & reprehenſione ceſſandum eſt, vt liberè liceat iuuentuti ſe intrepidè in melioribus exercere. (Etenim tandem improbos videlicet, & alio modo vlciſci licebit). Quando autem talibus viros bonos contumelijs afficimus, quam reddemus rationem?

tionẽ? quos enim punire non licet, quomodo licet ei qui eos dãnare velit eos impunè mulctare? Si etiam nunc quis vestrum existimet, quod multitudine bonorum pecunia gratior videbitur, quàm probris nõ obijci & malè audire, tantoq́; magis, quantò moribus fuerint impudentiores, cur non pasim est apertum difficilem esse & molestum publicam reprehensionem, meliusq́ue nobiscum agi si planè cohibeatur? Siquidẽ ex duobus vnum viris bonis necessariò sit eligendum, aut enim nisi sua bona maledicis largiantur, mala audient, aut si non malè audierint, mulctabuntur pecunia maledicta redimentes. Si autem malè audire parui faciunt, quid est quod persuadebunt omnino non licere ne priuatorum hominum ciuitatem gloria frui. Nam qualescunq; fuerint qui sunt publicè reprehensi sæpenumero tales esse existimari sunt soliti. Animum aduertite ad patres vestros Athenienses eos animo reuoluentes, quos aliæ ferè omnes scriptiones & historiæ ornant, eos sola comœdia & reprehensio publica insectatur etiam vt eis nunc contradiceres: videntur enim ipsi ab eis reprehensi. Atque ô terra, ἔτι νυνὶ λαβὼν

Dijq́;

Dijq; omnes, *quantum fuci & imposturæ summum, qualis etiam in his quæ appellantur παραβάσεις (choris in comœdijs) fuerit institutio & doctrina, desinó dicere: at igitur iuxta prouerbium à digno ligno pateretur, si cuiquam quid cōtingeret, vbi sermonis tanta improbitas, vbi cantionum tanta lasciuia, atque etiam formarum impudentia sit & deformitas. Comœdia verò & reprehensio publica nulla optari debet, cùm tot insint mala, quisnam voluptatis modus? an tanquam honesta hæc feretis? atqui quid his turpius? Verùm vt auditu aut visu vtilia: atqui hæc profectò corruptelæ signa sunt. Quando enim in more posuerit vir vel fœmina mala audire, & pessima vituperia ferre, facile remittit animum, & discit quiuis improbus esse, etiamsi anteà non fuerit, aliterq; multo hæc quàm erga Dionysium fas erat. Verùm equidem id quod prouerbio circunfertur nō malè huiuscemodi vesaniæ accommodabitur: Sint. Sed in gloriæ rationem mira, quando in balneis, in vicis & angyportis, quando in foro, quando domi mulierculæ & puellæ, omnes deinceps talia cantent. Vtrum etiam solos ciues reprehendere

*quam in medio imposturæ & fuci καὶ ὅσον μὲν ὦ γῆ καὶ θεοὶ τὸ μέσον τῆς νῦν κιβδηλείας, quantum est medium nunc fuci & fallaciæ.

παράβασις, chorus in comœdia, vide Suidam.

εἶεν ἀλλ' ἐς δόξαν λόγου θαῦμα, Sint quantumuis mala, ad bonam tamē concilian dam opinionem, & gloriam aucupādam sunt mirè efficacia.

dere licet? non'ne pergraue esset si externis parcere fas sit, nobis autem ipsis non audere? Verũ sic Lacedæmonijs dissimiles eritis: illi enim omnia sua arcana quæ dici nefas erat, fecerunt. vos verò quæ neminem vestrûm decent, liberè de vobis à quouis dici conceditis. Verùm per Iouem reprehendemus exteros: magnam ergo beneficentiam apud omnes & cõmercium habebimus: nũ facilè patres filios suos, facilè maiores natu fratres minores huc mittẽt, apud quos talia sunt celebrata, non desinitis vos ipsos infamia, ita per Iouẽ, aliud est lepidum & vrbanũ, notare? quã ridiculum: non'ne tanto magis id ad multitudinẽ non pertineret, siquidem multitudo vrbana esse videri nõ solet. Libenter certè eos qui maledicẽdo gaudent rogarẽ, vtrum ludãt an seriò agant? Si enim ludunt, cur docere se simulant? Si verò seriò agant, rursus bonum est eos rogare, an verò huiusmodi verò conuiciantur, an falsò. Si autem verò, cur discentes, non vtuntur legibus. Sed vbi loquendum est illis, tacent, & vbi tacendum, loquuntur. Sin verò falsò, illis lætandum erat quòd darent pœnas, neq; ægrè ferendum si maledicere non liceret.

Ego ſanè in ea ſum ſententia cùm hæc omnibus ita conſulem, vt rectè me facere putem, vobisq́ue non parum prodeſſe. Nam quantũ doctrina & humanitate præſtare vos putatis, tantò turpius eſt ea quæ non decent vos perſequi.



HORTATORIAE ORATIONIS ARISTIDIS FINIS.

ARISTIDIS DE PVTEO AESCVLAPII.

ARNOLDO FERRONO INTERPRETE.



QVID est quod de ſacrò puteo dicas? an ſcilicet quereris quòd eius vim & rationem non ſatis ſit planè aſſecuta natura, nec quid in re ſit abundè demonſtrare interdum potuerit? hoc certè nec vlla oratio, qualiſnam ſit pulchritudo, quæq; huius voluptas demonſtrabit: verùm ex hoc bibere, huiusq; aqua lauari, & cum magna voluptate eum contēplari, faciliùs poſſumus, quàm habere quæ de eo dignè dicamus: quemadmodum qui res præclaras amant, qui vi & præſtantia earum rapiuntur, ijs ſe adæquant quæ amant. Quòd ſi quis ipſos roget, nihil certè de abſentibus haberent quod dicerēt, ſed res præſentes vt arbitror oſtenderent. Idipſum in hoc puteo nobis euenit, pleriq;

λόγον definitionem.

τὸ ὂν reſpondet verbo λόγον, quidenim reipſa ſit reuera definitio exponit.

καὶ ἴσασιν ὧν ἐρῶσιν pares ſunt iis quæ amant, &c.

ipſius ſumus amatores, vel certè potiùs forſaſsè omnes, cùm eius naturam oratione explicare non poſsimus. Sed ſi quem noſtrûm quiſquam hoc modo accipiat & percontetur, hunc excipientes ad ipſum adducere illum æquum eſſe putaremus, & ei demonſtraremus: huic quidem ne id ſatisfaciet, prælibans enim periculumq́; faciens (vt inquit Homerus lotũ guſtaſſe videtur, permane volens): non facilè ab eo auelli debere ſe exiſtimabit. Non ergo ob eorum dicta qui ſitibundi ex eo biberũt tacere oportet. Sed oratione ornare, & Deum ſeruatorem (cuius hîc opus & effectio eſt), & quæ hunc habitant Nymphas & adiutrices, quæq́; nobis Dei benignitate frui largiuntur, eamq́ue miniſtrant. Vnde ergò nobis ſumetur exordium? an quemadmodum cùm ex eo potamus, labrisq; calicem admouimus, mox nos nequaquã continemus, ſed ſimul & copioſè ac cõfertim infundimus, ſic & hæc oratio cumulatè & confertim dicta omnia continebit. Illud verò nobis pro admotione labri ſit, eum inter pulcherrimos totius orbis puteos eſſe: ex toto enim orbe hunc ſolum vt ſaluberrimum & puriſſimum locum Deus elegit,

ἀπολαύων

elegit, & beneficijs quæ per eum præstitit, clarissimum effecit, quandoquidē hic multò cæteris quæ in terra sunt pulchrior est. Neque enim quemadmodum alij, alijs locis indigenæ Dij, ab initio sunt (etsi honorādi illi sint loci hoc ipso quod eos suscipiant). Sed hoc maius videri debet, quòd ex Epidauro huc, Deus ille commigrauit: amasse præ cæteris hunc locum certè clarum est, cū cæteris omnibus eum præponens in eo habitare elegerit. Quocirca Deus, & Deorum mitissimus, & homini amantissimus, animū huic applicare dignum existimauit. Quomodo nobis alijs'ue istæc obseruātibus aliud dicere licet, nisi quòd hic sit optimus, & in pulcherrima ob id orbis parte sit. Situs est pręterea sacri putei locus quàm apricus, serenus, & peruius: est in pulcherrimo situs, medius enim medio stat campo: aqua verò, si vis, à platano fluit, nam hic vt aliud diuinitatis signum iuxta eum crescit. Si verò adhuc pulchriorem & diuiniorem vis, aqua alia ab ipsis fundamentis in quibus erectum est effluit. Quare vera opinio & certa fides hæc ei respondet, quod vbi in salubri sanitatis suppeditatore solo currit, è templo at-

que Dei pedibus manet. Neq; certè ex salùbriore loco fluere poteſt, cũ ex his defluat. Cùm ergo in tali clareat, & ab huiuſmodi ſcaturiat, argumenti ſatis eſt pulcherrimum eſſe, primùm quidem certè eius aqua ſubtiliſsima ad aërem proximè accedit: id deinde ſequitur vt leuiſsima ſit & mitiſsima, tertiò dulciſsima & potui aptiſsima, & proprio quodam excellente ſapore prædita eſt: quã qui bibit vino non indiget. Homerus enim Titariſium Theſſaliæ in Peneum, inſtar innatantis hominis, propter aquæ lenitatem influere aſſerit. Hæc certè vt mihi videtur ſi quis aliam in ea infundat aquam, ſurſum ſtatim reſurgit, illa verò ſubſidit, non ſecus ac lignum teres ex alto loco in ſinum vergens, ſi & hoc non licet dicere, mihi quod videtur dicam, ſi ſubmergatur ex imo leuitate exilit. Quòd verò non vana dicamus, ſtatera indicat, etſi propago Stygis eum diceret quiſpiam cùm exurgens inflectit, huic certè id accidit quod non Stygis propago hic fluxus ſit, nec horridum aliud quidpiam habeat, ſed quòd vel ſanitatis vel nectaris aut huius generis alterius hunc eſſe propaginem affirmares: hocq; certè teſtetur, quòd tempus

Lege ἀντόχυμον vt paulò infrà non ἀντόχιτον.

ὥσπερ οἱ φάλλοι νεύοντες εἰς μυχὸν ἐκ τοῦ μετεώρου quid ſint φάλλοι vide Suidam.

tempus eum non lædit,ſed in vaſis poſita & extra puteum ſumpta quæuis aqua idē præſtat quod ea quæ in puteo ſemper relinquitur putredinis & affectionis, omniſque labis expers manet. Copia certè tanta eſt in in hoc puteo aquæ,vt vno verbo dicā, quāta in quouis alio habetur:viribus integros & indefeſſos eos qui hauriunt ex eo eſſe oportet,& prudētes,ne quod acceptū ſit euadat. Solus ergo omnium puteorum qui ſunt & hauriuntur parē ſemper aquæ copiam præbet.Dolioq; pertuſo planè diſsimilis eſt,hic enim nunquam expletur,ille verò labris tenus plenus ſemper eſt, præſertim quidem cùm humaniſsimi omnium Deorum promptiſsimus miniſter ſit & adiutor,ad eius obſequium ſemper eſt plenus:atque ille nec vt otium agat ſatagit, aliud'ue quàm vt homines ſeruet facit. Idem quoq; diuinus puteus Deum imitans, indigentium ſemper explet deſiderium, eſtq; veluti alumnus & donum Aeſculapij (vt inquit Homerus,Vulcani arma & opus quod Vulcani beneficio ſint effecta). Quoniam verò illic iam fui, ſi vſum & neceſsitatem ſpectes, quæ quæſo aqua apud homines cum hac conferri poteſt?Nō

τὸ καταλαμβανόμενον aut κατελάμβανον. τῶν ἐόντων in quibus aqua remanet, etiā ſi ſemper hauriantur.

enim solùm potus est saluberrimus sed iucũdissima,& maximè innocua est lauatio. Neque verò anni tẽpora sequitur: æstate enim suapte vi frigidissimus, hyeme lenis & blandus maximè est: præsentes difficultates soluit & solatur, sicuti fontem Aesculapio sacrum decet: atq; hæc quidem certè & ei qui his vtatur,& qui alios inspiciat, pulchra sunt & periucunda: circa enim eius ora instar apum aut muscarum examinis circa lac, æstate summo mane stantes cernere licet, hunc profectò potiùs quàm alium quemuis potum qui vel sitim cohibeat, vel sedet, quærunt. Si verò aliquis eius cõcreta glacie manum fricet, calidior profectò quàm fuit & lætior efficitur. In rebus omnibus, hoc veluti quodam proprio adiumento Deus fonte vtitur, multisq; perquam vtilis fuit, vt eis in quibus Dei opera indigebant, illi potirentur, non secus quàm medicorum, & miracula facientium liberi exercitati sunt ad ministeria & functiones, adiutoresq; fiunt: & spectatores & vtentes admiratione liberãt. Sic magni miraculi effectoris & salutis hoc inuentum & opus est atque instrumentum, simul semper cum Deo operatur, multis quidem

αὐτὸ ἑαυτοῦ.

quidem antidoti & renitentis pharmaci vim adfert: multi enim hoc loti visum recuperarunt, & qui biberunt pectus sanarunt, spiritumque difficilem curarunt: quorundam verò pedes direxit, quorũdam autem quidpiam aliud emendauit. Iam verò quidem cùm mutus ex eo bibisset, sermone donatus est, & liberè posteà loquutus: perinde atque hi qui ex vetitis aquis sacris biberunt, vates euaserunt: alijs verò præscriptum fuit ob quamuis aliam salutem & conseruationem ex eo haurire. Sic ægris igitur præstans & salubris est medicina & salus: & sanis omnem alterius aquæ necessitatem supplet. Hac sola aqua quicquid conantur homines perficitur: veluti si quis vinum aliquod conditum ex his quæ iam detrita & in vappam conuersa bibat. Solus hic puteus & ægris & sanis ex æquo & suauissimus & commodissimus, & vtrisq; & ambobus est, neque cum lacte compares, nec eo præsente vinũ quisque postulet. Sed est, vt inquit Pindarus, sapidum nectar diuina temperatione satis bellè mistum, adeò vt si duo calices nobis proponantur, quorum alter aquæ, alter vini sit generosissimi, huiusce aquæ calicem vinó

ὃκ ἀμέμπτων ποιεῖ.

οἷον ὁ τὰ μετὰ ἀνθοσμίαν ῥέοντα τῶν ἐξεστηκό-των.

 ne

ne præponeres dubitares. Adhæc aliæ sacræ aquæ hominum permultorũ refugiunt vsum quemadmodum ea quæ in Delo est, aut si qua alibi ei similis sit alia. Hic verò vt seruet eos qui eo vtuntur, cum neminem attingere magnum est, & lustrationibus in templo & hominibus ad bibendum & lauandum, & intuentibus ad lætandum sufficit. Ego verò neq; Knidum, neque Eurimedonta, neque Choaspim (quem ad potandum circunferferre curabat rex,) neq; pulcherrimis coronis quibus terra vtranque ripam decorauit ornatum Peneum, neq; fontem profundũ, neq; aliam quam nomines aquam, cum hac diuinissima in omnibus aqua compararem. Verùm hanc cæteras omnes aquas tantum excellere, quantum ipsius præses Deus cæteros superat Deos affirmarem: restat vt vnũ id tantùm dicamus, iustè & piè faciamus ita iudicantes. Deus autem primus hoc de eo puteo decretũ sanxit.

τὸ δὲ τῶν σώζειν τοῦς χρωμένους αὐτῷ μηδένα αὐτοῦ ψαύειν ἱερὸν ὄν.

FINIS.

MAXIMI TYRII CONCIO, VTRVM DIIS DICANDA SIGNA.

*



PITVLARI mortalibus Deos ambigit nemo, omnibus quidem omnes: verùm ſecundùm diuinorum nominũ famam, opitulari alios alijs creditum eſt: his homines & honores & ſigna, prout Deorum aliquod beneficium, aut publicum aut peculiare in eos extitit, obtulerunt. Sic nautæ in extanti aliquo ſcopulo, quod minimè tunderetur ab vndis, temones marinis Dijs dicauerunt. Sic de paſtoribus aliqui Pana venerantur, in eius honorem vel abietem excelſam vel antrum profundum eligentes. Agricolæ prætereà colunt liberũ patrem: viridem ac natiuum aliquem truncum in pomario conſerentes, ruſticum nimirum ſignum. Dianæ ſacratæ ſunt ſcaturigines fontium, deuexæq; in montibus valles,

& venationibus exposita prata. Sed & mortalium primi vertices montium sa unt, Olympum, atque Idam, vel alium mpiam: qui præ cæteris cœlo proximus videretur. Est etiam aliquò gentium tri- tus fluminibus honos, vel propter emo- mentum, vt apud Aegyptios Nilo: vel pro- ter pulchritudinem, vt apud Thessalos Pe- eo: vel propter magnitudinem, vt apud cythas Istro: vel propter fabulam, vt Ache- o apud Ætolos: vel lege, vt apud Spar- iatas Eurotæ: vel propter sacrificia, vt apud Athenienses Ilisso. Quò fit vt amnes quoq; propter vtilitatem eorum, qui ab ipsis com- moda acciperent, honores sortirētur. Quin- etiam adhibitæ sunt artes, constituendis proprijs cultibus singulorum Deorum, quæ eos alijs atque alijs notis insignirent. Sicubi verò gentium, genus hominum sit minimè vel rusticum, vel maritimum, sed potiùs in vrbibus diuersans, quod ratione ac legibus constet: nunquid hoc genus, nec munera, nec honores tribuet Deo? An potiùs hono- res verbotenus impendet, Dei celebrando memoriam? à signis autem ac dicationibus sacris, quibus Deus minimè putet indigere,

abstineb

abſtinebit?Haud enim magis indiget Deus, vel ſignis,vel dicationibus ſacris,quàm ima ginibus ac ſimulacris indigeant viri optimi. Nam (quemadmodum mea fert opinio) ad formandum ex humanis vocibus ſermonē, haud neceſſarij ſunt, vel Phœnicij, vel Ioni-ci,vel Attici,vel Aſſyrji, vel Aegyptij chara-cteres:ſed eos idcirco humanæ mentis imbe cillitas inuenit, vt eſſent certæ notæ,in qui-bus homines hebetudinem propriam impri mentes, ex eiſdē poſſent informare memo-riam. Sic etiam diuinæ naturæ nihil opus eſt ſignis,aut dicationibus ſacris. Verùm huma na ingenia imbecillitatis propriæ conſcia, tantumq; à diuina natura diſtantia, quantũ diſtat cœlum à terra, certa conſtituerunt ſi-gna,in quibus conderent & nomina & glo-riam Deorum. Qui igitur memoria valent, vigentq; ita animo,vt rectà tendentes in cœ lum,diuinæ vltrò naturæ occurrant:hi nihil indigent dicationibus ſacris. Rarum tamen id hominum eſt genus, neq; reperias vnquã populi cœtum ita memorē diuinæ naturæ, vt eiuſdem admoneri non egeat:perinde ac pueri ſolent tenuibus quibuſdã notis à Grã-matiſtis expreſsis,cõſtituta memoria,ad edi

ſcendam

[illegible]am artem, manu quodãmodo perdu-
[illegible]i si sunt enim legumlatores, quasi cuidã
[illegible] puerorum dicationes has sacras tradi-
[illegible]vt essent signa quædam diuini cultus,
[illegible]æ, qua quodãmodo ad reminiscentiam
[illegible]æ naturæ ducerentur. Verùm dicatio-
[illegible] sacrarum haud vna lex est, haud vnus
[illegible]odus, haud vna est ars, haud vna mate
[illegible]tarunt enim Græci ad celebrationem
[illegible]ũ conducere eam præcipuè rem, quæ
[illegible]er puritatẽ materiæ, propter effigiem
[illegible]nam, propter artis consumationem,
[illegible]ritudine cæteras vinceret. Neq; perpe
[illegible]decreuisse putandi sunt, qui simulachra
[illegible]um ad humanam effigiem statuerunt.
[illegible]m animus hominis accedit proximus
[illegible]ac præ cæteris rebus, eius similitudine
[illegible]itur, minimè profectò decuit Deum,
[illegible] sibi esset simillimus, ineptum aliquod
[illegible]aculũ circunducere: verùm id potiùs,
[illegible]optimè immortalis animus gestaretur,
[illegible]d expeditum esset ac facilis motus. Solũ
[illegible]nim corpus humanum, ex cunctis terre-
[illegible]corporibus, vultu suspiciens in cœlum &
[illegible]stantiam, & alacritatem, & decoram cõ
[illegible]itionem ostendit: nec propter magnitu-
dinem

dinem terribile, nec propter ſetas formidabile, nec tardum ex grauitate, nec leuitate lubricum, nec propter duriciem tactui moleſtum, nec propter frigiditatem humi ſerpẽs, non propter caliditatem petulcum, nõ propter raritatem compagis ad natationem factum, non propter immanitatem crudas carnes, non propter debilitatem radices depaſcens. Verùm in operibus ſuis muſicè compoſitum, formidabile prauis, placidum probis, natura gradiens, alatum ratione, arte cõpos natationis, frugiueſcens, terram labore exercens, pomiuorum, coloris honeſti, decẽti præditũ ſtatura, bene oculatũ, barbæ decoræ. Per huius igitur corporis formam ſanxerunt Græci Deos celebrari oportere. Barbari autem & ipſi Deum intelligunt omnes, alijs tamẽ atq; alijs ſignis vſi ſunt. Perſæ adorant ignẽ diarium, nimirũ diuinitatis ſignũ, inſatiabitem, voracem, huic cùm ſacrificant Perſæ, alimentum præbentes, his verbis vtũtur: EDE IGNIS DOMINE. Qui cùm eiuſmodi faciant, non'ne merẽtur audire: ô ſtultiſsimi gentium, qui poſthabitis tantis ac talibus diuinitatis ſignis, vt eſt placida terra, vt lucidus ſol, vt nauigabile æquor, vt fœcundiſsimi

rni amnes, vt vitalis aër, vt postremò cœ
i psum: igni potiùs operam nauatis ferif
ac leuissimo Deorum, quem non solũ
i tis lignis, extis, & odoramentorũ omni
ia, verùm huic vel simulacro, vel Deo,
hriam, atque ipsas Athenas, Ionica tem
Græcorum Deorum simulacra dedistis
nenda. Non possum non succensere
yptiacis legibus. Bouem Ægyptij colũt,
n, hircum, atque animalia Nili, quorum
t alia corpora, miseræ vitæ, humillimi
Etus, obsequium sordidum, turpissimus
s. Moritur apud Ægyptios Deus luge-
ae, cuius & templum & sepulchrum
ptij ostendunt. Et Græci quidem sacri-
t optimis viris, quorum virtutes profe-
tur honoribus, calamitates autem obli
i bus debent. At Ægyptij proprijs Dijs
er impendunt honores & luctum. Pe-
ulierem Ægyptiam Crocodili catulus
batur, hanc Ægyptij beatam putabãt,
scilicet Deum nutriret: eorum aliqui
tricem & alumnum demulcebant. Mu
huius ephebus filius erat, Deiq; huius
alis, quo cũ educaretur ac luderet. Deus
ille intereà dum infirmis viribus esset,
cicur

cicur admodum erat: at aucto corpore, ingenium detexit, puerumq; æqualem occidit. Infœlix autem Ægyptia ob eam necem feliciter actum cum filio putabat: cuius necis beneficio, filius contubernalis Dei donũ effectus esset: & Ægyptiaca quidẽ eiusmodi sunt. Alexander ille Macedo, qui Persas euertit, Babylonem vicit, ac Darium cœpit: perrexit ad Indiam, præterquàm Liberi patris, & Alexandri (vt ferebant Indi) cunctis alijs exteris exercitibus ad eã ætatem inaccessam. cùm aduersus Alexandrum hũc, arma sumpsissent Indici Reges, Porus & Taxiles, Porus quidem capitur pugnans, Taxiles verò in amicitiam ac societatem recipitur. Ostendit Alexandro Taxiles, quæcunq; mirãda erant in Indica terra, maximos amnes, varias aues, odoriferas plãtas, siqua præterea ignota essent oculis Græcorum. In his animal quoddam eximium, Liberi patris simulacrum, cui sacrificant Indi, draco erat, quinque iugerum magnitudine. Is deuexo quodam in loco alebatur, & anfractu profundo, desuper altissimis muris circunsepto. Indorum verò armenta deuorabat, præbentibus Indis oues ac boues in cibum, quasi

c tyranno

tyranno cuidam potiùs quàm Deo. Hesperij Libes incolunt terram, collum videlicet angustum, in longitudinem porrectum, ac mari circũdatum. Scinditur enim circa colli verticem oceanus, aquarumq; vi terrã amplectitur. His hominibus insigne est Atlas. Est autẽ Atlas, concauus mons, accliuis valde, ita ad excipiendum pelagus patens, quẽadmodum patent ad aërem theatra. In medio montis est locus, vallis videlicet perbreuis, haud admodum lata, pinguis tamẽ atq; arborum ferax: in quam si quis ex vertice ipso despiciat, in imum credat se puteum despicere. Descensus verò propter interiora prærupta, difficilis est, & alioqũi religione prohibitus. Verùm quod huius loci mirabile est, cùm Oceanus æstuans littus obtũdat, alijs quidem in locis adiacentes cãpos asper git: vbi verò ad Atlãtem accedit, in speciem erigitur montis. Propterea videre est aquam vi propria stãtem instar muri, quæ neq; vallem influat, neq; soli attactu fulciatur. Inter montem ac mare multum est aëris, nemusq; in cõualle receptum. Is locus apud Libycos sacer est, ac Dei, iurisiurandi diuinitatisq; signum. Celtæ colunt Iouem. Celticum verò Iouis

Iouis ſignum, altiſſima quercus. Pœones Solem venerantur ſignum Pæonicum, diſcus breuis longo impoſitus ligno. Arabes Deum quidem habent: qualem talem minimè noui, tametſi eius ſimulacrum aſpexi, tetragonum videlicet lapidem. Venus à Paphijs colitur: cuius inſigne nulli rei magis aſſimiles, quàm albæ Pyramidi: at materia Pyramidis omnino ignota. Apud Lycios Olympus ignem emittit, haud admodũ ſimilẽ Æthneo: cùm placidè atq; ordinatè mittatur, is ignis & ſacer, & diuinitatis apud Lycios eſt ſignũ. Phryges qui citra Celenas habitant, amnes Marſiam & Meandrum venerãtur: hos ædit fons vnus, vt & ipſe ſum teſtis, fons verò ad montem accedens, contra dorſum vrbis abſconditur atque abſorbetur: rurſusq; ex vrbe emergit, diuidens fluuijs & nomina & aquã. Meandrus nanq; in Lyciam profluit: Marſias verò circum adiacẽtibus campis abſorbetur. Sacrificant Phryges ijs fluuijs ambobus aliqui, ſeiunctim verò aliqui, peculiariterq; aut Meãdro, aut Marſiæ. Iaciũt etenim victimarum coxas in fontẽ, celebrantes eius fluuij nomen, cui ſacrificium fecerũt. Coxæ ad montem deuectæ, quem vnà cum aquis

 ſubeunt:

ſubeunt: Si quidem ſacrificium fuerit tributum Meandro, nunquàm in Marſiam emergunt. Sin verò contrà Marſiæ datum, Meandro minimè miſcētur, at ſi ſacrificatum fuerit ambobus: ex æquo diuiditur donũ. Mons cappadocibus eſt Deus, iuſiurandum, ac ſimulacrum. Meotis Palus & Tanais, Maſſagetis. O infinitam ac diuerſam ſignorũ multitudinem: quorũ aliqua finxerit ars, aliqua commendarit vſus, multa propter vtilitatem colantur, multa propter terrorem venerentur, multa propter magnitudinẽ diuina ſint habita, nonnulla pulchritudine laudentur. Neq; reperias hominum genus, ſiue barbarum, ſiue Græcum, ſiue maris, ſiue continentis incolam, ſiue paſtoritium, ſiue vrbanum quod penitus reſpuat ſignificationes aliquas ponere gloriæ Deorum. Quomodo igitur ſentẽtia feratur, in ea dubitatione ſermonis? vtrum ſcilicet diuinitatis ponẽda ſint ſigna, an omnino negligenda? Quamuis neceſſaria magis putanda eſſet hæc quæſtio: ſi quidem de his legibus agatur, quas accepturi ſint homines, hi qui vel extra noſtratẽ hanc regionem poſiti eſſent, nequaquàm cõmuni hoc aëre vtentes: vel recentiſſimè humo

progn

prognati, vel etiã ab aliquo Prometheo confícti, nostræ huius vitæ rationis, ac legis imperiti. Nam si his hominibus statuendæ sint leges, eam fortè considerationem inibimus, vtrum expediat sinere hoc genus hominum contemptim viuere his diuinitatis imaginibus, quas natura ipsa produxit: reiecta prorsus, vel eboris, vel auri, vel quercus, vel cedri, vel amnis, vel auis adoratione: quorum potiùs loco surgentem Solem, illustrem Lunã, variatum cœlũ, terram ipsam, aërem ipsum, ignem quoq; integrũ, & vniuersam aquam veneretur? An idem genus cogẽdum magis sit, lapidum, ignium, ac formarum cultũ suscipere? Sin verò tempus communis omnibus lex est, quæ semel posita sunt, stare sinamus, gloriam suscipiẽtes Deorum, eorumq́; mysteria, quemadmodum & nomina seruãtes. Deus enim rerum omnium pater atque opifex, antiquior Sole & cœlo, tẽpore melior, ęuo melior, omniq́; fluxibili natura, sine nomine, legislator, qui voce vlla nominari non potest, inuisibilis oculis est. Cuius cùm minime possimus substãtiam capere, necessarium est inhærere, vel vocibus, vel nominibus, vel animalibus, vel formis aureis, ebur

neis,argẽteis : vel plantis,vel fluuijs,vel culminibus, vel ſcaturiginibus aquarum. Nam cùm deſiderium nos habeat diuinæ naturæ intelligendæ : ita eſt humanæ mentis imbecillitas, vt quæcunq; hominibus pulchra videantur,ab ipſius Dei natura, diuina nũcupemus, ſequẽtes amantium illum affectum, quibus eorum quos amãt,ſimulacrum præbere iucundiſſimum ſolet ſpectaculum, iucundè etiam inſpicitur lyra, iaculum, ſella, circus, vel quicquid poteſt amati memoriã ſuſcitare. Quid igitur mihi,vel inquirendum ſupereſt, vel decernendum de dicationibus ſacris. Dum mortales intelligant genus vnũ diuinæ naturæ : Siquidem Græcis eius memoriam excitet ars Phidiæ,aut Ægyptijs animalium cultus, aut alijs gentibus amnes,alijs ignis:diſſonantiam nõ accuſo. vnum intelligant,diligant vnum, memorent vnum.

*

